Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1666 die 29 Aprilis.

Lochman Joan. Mart. Arca academica novis vere
novo consita plantis —

~~Poezya 2985~~

AREA ACADEMICA,

NOVIS VERE NOVO CONSITA PLANTIS,

Dum

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS

Magnifici, Perillustris, & Admodum Reuerendi Domini,

M. STANISLAI JURKOWSKI,

S. Theolog: Doctoris, & Professoris,

Protonotarij Apostolici, Præpositi S. Floriani, S. Georgij in Arce Cracouiensi, & Opatouiensis Custodis, Almæ Academiæ Cracouiensis PROCANCELLARII Dignissimi,

&

GENERALIS RECTORIS VIGILANTISSIMI;

A

Clarissimo, & Excellentissimo Domino,

MARTINO WINKLER

Collega Majore, Regio, ac intereà designato Tyliciano Eloquentiæ Professore,

XVIII. LICENTIATI

IN PUBLICO FREQUENTISSIMORUM HOSPITUM SPECTACULO,

Laureâ Doctorali

In Artibus & Philosophia insignirentur,

Applausus Solennis ergò

Per

JOANNEM MARTINUM LOCHMAN, ejusdem Gradûs LICENTIATUM

CELEBRATA.

CRACOVIÆ,

In Officina Typographica BALTHASARI SMIESZKOWICZ Typogr.

Anno Domini 1666. Die 29. Aprilis.

15.

JN STEMMA ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.



Area cùm plantis, quam Regia Sceptra tuentur,
Inconcussa malis, non timet exitium.
Fulmina non ferient, quam cingit Laurus honoris
Florebit longâ posteritate virens.
Ergò Laurigeros dissoluere Zoile fasces
Iam frustra tentas, gloria crede tui
Nulla laboris erit, multos durabit in annos
Area, quam celso Laurus honore beat.

MNEMO-

MNEMOSYNON
Debitæ Gratitudinis

Clarissimo & Excellentissimo Domino

MARTINO WINKLER

Collegæ Majori, Regio, ac intereà designato Tyliciano Eloquentiæ Professori.

PROMOTORI DIGNISSIMO,

O Præses nostri, Motor, Cynosuraq; cœtûs
Te Duce iam nobis laurea serta vigent.
Aönides Musæ celebris præconia famæ
O Fautor noster, me celebrare iubent.
Supprimit ipsa Tuas lautissima copia laudes
O Craciæ WINKLER gloria magna togæ.
Tylicijs á Te consurget gloria rostris,
Cùm sicco Juuenum pellet ab ore sitim.
Cùmq; Tuæ dulcis manat facundia linguæ,
Quæ laurum fronti est imposítura tuæ.
Vendicat ipsa Tibi laudem Parnassia rupes,
Fundit ab ore melos Bellerophontis equus.
Progenies Tullî censeris tu merito: nam
Voce, simul calamo: Cæsar vtroq; viges
POSNÆ rostra Tibi summæ dant nomina laudis,
Quæ Tuus ornauit, fecit & aucta labor.
Tu benè peruigili complecteris omnia mente,
Stoa quid eximij, vel Peripathus habet.
Ergô Phœbe tuas iam dulcia plectra sorores,
Pierijs campis dulcè sonare iube.
WINKLER sit nostris celebratus ritè Camœnis,
Jpsemet in laudes surgat Apollo suas.
Tu modò plantator nostras sic dirige plantas
Vt dulcem Patriam, fronde comante tegant.
Tu vireas: vireant per te diademata nostra,
Quæ tribuas nobis ocyus, opperimur.

VENERABILIBVS DD. LICENTIATIS,

I. V.D. ANDREÆ KROWICKI.

Oleaster Megarensium, qui iisdem ciuibus eo ad deuincendos hostes subsidio fuit, quòd æneum thoracem, cùm galeâ, omneque genus armorum aduersus Athenienses pepererit.

Nicolaus Leonicus de varia hist.

Symbolum est animi prompti in superandis scientiarum difficultatibus.

LEMMA, Cunctas bellorum possidet artes. *Claudianus de bistrice.*

MEns mea dum dubitat, variisq; oberrat in aruis
Quæ tribuam meritis, præmia digna Tuis,
Aut quo frondenti cingam tua tempora serto
Inclyta Palladii, gloria prima chori,
Optime KROWICKI: offert se Megareûs Oleaster
Prompti animi verùm, symbolon ecce tui.
Hic quondam Megareîs genuit thoracas ahenos,
Fulgentes clypeos, telaq; tùm galeas,
Sic tua mens Cunctas bellorum possidet artes
Doctæ quêis superat; fortia castra Stoæ.
Ardua, solertis penetras monumenta Stagyræ
Quidquid habet docti Magnus Aristoteles,
Cuncta hæc mente tuâ promptâ complectêre, quidue
Tullius, & quidquid culta Poësis habet,
Ergò perge celer virides decerpito ramos,
Et lauru frontem cingat Apollo tuam,
Armifer hic ramus dicit te pectore promptum,
Difficilis stadii, quo periere mala,
Deuoues animum studiis, vigiliq; labore,
Desidiæ vincis, crimine turpe caput,
Virtus diua tibi meritos en pandit honores,
Pallade cùm socia: iam diadema dabunt.

II. V.D. IOANNI STANISLAO ZYCINSKI, N.P.

Arbor Indica, quæ ad Orientem Solem aperiri extendiq; perhibetur, ad Occidentem verò contrahi. *Theophrastus.* Amor iustitiæ quæ scelera odit, & veritatem amat.

LEMMA. Cessat praua fides verumq; refulget. *Claud. de nupt. Honor.*

Inclyte

INclyte ZYCINSKI Themidi gratissima proles,
Laudâsti leges diffluus ore graui,
Cumq; tuam mentem Diuina scientia Iuris
Incoluit, miro pectus amore tenens,
Alcinous viridi quànam te fronde bearet
Quæsiit: & subitò nobilis arbor adest.
India quam gignit gemmarum prodiga tellus
Contrahit hæc folia, cùm Pater Heliadum
Auricomam faciem Titan abſconderit: aſt mox
Lumine cum radiat, explicat hæc eadem.
Hæc tibi nunc a me ſummo pro munere datur
Ingenio Themidis protinùs apta dari
Mente tua penetras nam docta volumina legum,
Arguti quidquid Iuſtinianus habet.
Iuſtitiam ſequeris ſemper; iuſtiq; Patronus
Es, ſed iniuſti maximus vltor ades.
Quare age felici præpes progredere curſu;
Quo te fata vocant, quo ſtudiumq; trahit
Aſtrææ: ſummos poſt prenſaturus honores
Diua Themis capiti, quos parat ecce tuo.
Te faciat clarum virtus veritate Catonem,
Fulgeat æqui lex nomine clara tuo.

III. V.D. ALBERTO IOANNI PODRAZINSKI,

Balanus, quæ dulciſſimi ádinſtar nectaris profert ſuccum, ad ſedandam ſitim aptiſſimum. (Dioſcorides.) Symbolum eſt melliſluæ eloquentiæ.

LEMMA. Has oris copia vincit opes. *Claud. in ep. ad Olibr.*

SVcco perdulci balani, ſitis abſcedit oris
Melliſluum quæ dat nectar & ambroſiam
Aſt PODRAZINI longè felicior illo
Cenſeris ſucco: nec meus errat amor,
Jngenio nam te memori natura dotauit
Dulce decus fandi, contulit hæc eadem.
Non ſic purpureo rutilant Pæſtana roſaria vere
Lilia nec redolent taliter Heſperidum.
Vt tua mens ſuaues florum diffundit odores,
Cùm roſeis profers dulcia verba labris.
Herculis ipſa tibi tribuit facundia palmam
Auriferis mentes compedibus rapiens
Doctiloquus culto manans è pectore ſermo.

En Ganymedæo nectare corda rapit
Mæonides Musæ lymphis à fonte petitis
Tinxêre Castalio, dulcia labra tua.
Siue lyram Phæbi modulantem pollice docto
Pulsas; dulce melos carminis arte sonat.
A rostris Cyneæ seu fortia fulmina vibras,
Siuè per abstrusa curris Aristotelis,
Magnus es ingenio, quod frequenti excolis vsu,
Et magnas *Oris copia vincit opes.*
Nunc sitis vt cesset, iam sis satiatus honore,
Multo quem virtus sæpè labore sitit.

IV. V.D. VINCENT: STANISLAO ROGOWSKI.

Platanus Caphiensis in Arcadia Agamemnonis manu plantata, multarum rerum memoria insignis. (Theophrastus) Symbolum est animi variarum scientiarum capacis.

LEMMA. Fert omnia secum. *Claudianus de histrice.*

DA mihi Phœbe tuos dulces inuisere fontes,
Vt mea Musa melos dulce sonare queat;
Vos quoq; Pegaseo deuotæ accedite fonti
Nymphæ, nunc cytharas tangite suauisonas.
Necte comam Chloris pulchram, cydarimq; virentem
Offeras, Charitum tu quoq; lecta phalanx.
Cingere perge caput, doctum, renidente coronâ.
ROGOVII clari dotibus eximiis,
Virtutum diues animus fert omnia secum
Artibus & cunctis ingeniosus abit.
Suada decus fandi doctis audita cathedris
Quæ sonuit toties nobiliore choro,
Inclyta Tullianæ tribuit tibi nomina laudis
Te clarum eloquio fama perennè vehet.
Ingenio soluis memori nodos Peripathi,
Vincenti *vincis, dogmata firma Sophi,*
Nosti quodq; tulit doctum Diuina Mathesis
Atlas sydereo ponis in orbe caput,
Lymphea quid Pleias, sæuus quid portet Orion,
Sydera cur mutuâ stent remeentq; vice,

His

His clarefce bonis, magnum pete culmen honoris
Laurus fume bonas, hoc mea Musa canit.
Æternis Pallas nomen positura trophæis
Ecce tibi confert, Arcadiam platanum.

V. V. D. JOSEPHO KVPISZEWIC

Cynnamomum, quod Soli in Sacrificium offerebatur ob insignem odoris fragrantiam. *Theophrastus.* Nominis gloria ex virtutibus.

LEMMA. Amplis redolescit in aruis. *Claud. in laud. Serenæ.*

CYnnameus caudex AMPLIS REDOLESCIT IN ARVIS.
Et virides campos implet odore suo.
Inclyta sic cunctis redolet sapientia rimis.
Atq; animos nostros pascit odore suo.
Cynnama facundæ redolent fragrantia linguæ,
IOSEPH Craciaci cara propago soli.
Cùm tu magnorum Mystes facunde laborum,
Tullianum nectar fundis ab ore tuo.
Et cum dicta Sophûm memori complectêre mente
Ingenii dotes sunt tibi nam celeres,
Excolis assiduâ quas tu diligentia IOSEPH,
Ars est nam magnæ sedulitatis opus.
Vera Maro dixit: Labor improbus omnia vincit.
Quo munitus IOSEPH otia blanda premes.
Dumq; coles vigili Musarum sacra labore,
Fies Arte Maro, Tullius eloquio.
Gloria sicq; tuæ famæ redolescet in aruis
Quà tellus ampla & Nereus arua secat
Ipsa tibi laudem reserabit fama: serenis
Pulcher honor semper quam comitatur alis.

VI. V. D. JOAN. NYKOWSKI

Baraas arbor, quæ est coloris flammei, noctibusq; splendorem confert. *Iosephus de Hierosol. capt.*

LEMMA. Splendescit sydus in vmbris. *Claud. de nupt. Honor.*

TV quoq; Mæoniis Craci deuote Camœnis,
Optime NYKOVI laurea serta cape.
En labor assiduus Baraâ de fronde coronam
Nectens hâc frontem vult redimire tuam.
Non secus ac Baraas nocturnis splendet in vmbris
Durò sic tua mens, ecce labore micat

Gloria

Gloria continuo doctæ nocturna Mineruæ,
Impallens libris; culmina celsa petit
Virtutum: dulces somnos quæ spernit & audax
Ad solitos cursus, Palladios properat.
Crediderim facile potum te fonte Aganippes,
Suauia cùm fundis carmina ab ore tuo.
Crediderim quandò resonas sermone polito,
Quòd prompsit Pallas, vbera casta tibi.
Cùm Logicæ nodos & cæca sophismata soluis,
Censeris rectè doctus Aristoteles,
Iam decorat proprio te virtus parta labore,
Cynthius & frontem cingit Apollo tuam
Laurigero serto: verum infractiq; laboris
Indicium donat, serta tibi Baraa.

VIII. V. D. BLASIO JGNATIO KRAVZOWSKI,

Thia arbor, ex qua Mercurii simulachrum in Arcadia constructum, nullam edacitatem temporis, vel cæli iniurias sensisse narratur. (Homerus) Symbolum animi constantis in studiis.

LEMMA. Nunquam cessura labori, *Claud. de nupt. Honor.*

ET te Craciacis soboles gratissima Musis,
Dulce decus cytharæ, deliciumq; meæ.
En largâ Aönidum Princeps supremus Apollo
Te mercede beat, sceptrigeriq; Iouis
Proueniens sacro cerebro, Dea summa Minerua
Emerito capiti, præmia digna parat.
Quam non tempus edax, feriunt nec fulmina dura
Vt Thia, sed semper celsa stat immobilis;
Sic tua mens duro est *nunquam cessura labori*
KRAVZOWSKI, superat quæ abdita cuncta Deæ.
Palladis: hæcq; refert vultûs grauitate Catonem
Te tristem, atq; tuis moribus ingenuis.
Suada tuo quoties facundo personat ore,
A docto Senecæ flumine riuus abit.
Et Sophiæ quoties liquentes combibis haustus,
Nectaream tibi fert, ambrosiam ipse Plato.
Pegasides Nymphæ dulci tua labra rigârunt

Castaliâ

Castaliâ lymphâ, Phœbus & ipse Pater
Mite tuum pectus doctrinâ pauit: & Hermo
Aurifero, sitiens os, fluuio refecit.
Lætus nunc igitur virides decerpe corollas,
Quas tibi pro meritis, Pallas amica dedit.

IX. V. & R.D. MATTHIÆ FRANCISCO STAWIARSKI

Sacr: Ord: Præmonstr: Conv: Hebd: Canon: Prof.

Laurus Assyria, quæ per multas annorum series perpetuò virescens, Sacerdotibus & victimis, altaribus Deorum dicandis coronas præbuerat. (Pausanias) Symbolum est pietatis.

LEMMA. Est pietas semper mortalis nescia serti. *Claud. in pan. Hon.*

MÆoniis nuper mea mens cùm sedit in aruis,
Solicitâ carpens, laurea serta, manu,
Comparet & subitò doctis celebrata Poëtis,
Musarum Præses, Pallas amæna venit.
Virginis os habitumque gerens Dea, quæ tribuisse
Nouit, sola viris, munera Palladiis:
Et me solicitum cernens, mox talia fatur:
Iam scio quid voluas, pectore solicito,
Assyriâ cingas STAWIARSKI tempora lauru,
Illa viret foliis, hic pietate nitet.
Est pietas semper mortalis nescia serti,
Ast ceu splendenti, luce refulget Onyx.
Ac velut ætherias micat inter Cynthia flammas,
STAWIARSKI niueus sic pietate viret,
Candida Religio præmonstrat maxima quæque
Semina virtutum, dulcisonæque Suadæ.
Egregiæ celsum STAWIARSKI mentis acumen,
Soluit perfacilè dogmata cuncta Sophûm.
Quæ florens igitur permultos durat in annos
FRANCISCVM hæc almo, laurus honore beet.
Iam frustra Æolii miscebunt prælia venti,
Nubibus è superis, fulmina frustra cadent,
Fulmina non ferient vittis lauroque reuinctam
Palladiâ frontem. Talia dicta dedit
Hæc Dea: tùm subitò niueis subuecta quadrigis,
Euanuit præpes, sydera celsa petens.

X. V.D. CASIMIRO STANISLAO MICHNIEWICZ,

Arbor lanifera, quæ in ſinu Arabico, ex pillulis maturitate ipsâ ruptis lanarum præbet villos, ex quibus pretioſa conficiuntur lintea atque veſtes. (Theophraſtus) Symbolum eſt animi manſueti, & honeſtis ſtudiis operam dantis.

LEMMA. Raras inter habetur opes. *Claud.*

NEc te MICHNIEVI *modulans mea Muſa ſilebit,*
Delicium Craci, Pieridumq; iubar.
Arbore laniferâ contextam ſume coronam,
Quam tibi pro meritis, Cynthius ipſe parat.
Namq; [redacted] *decorat pietas, omnisq; modeſtia vultum,*
Quæ certè raras inter habetur opes.
Corda hominum vincis facundæ munere linguæ,
Palladis & ſtudijs, nocte dieq; litas.
Virtus clara tuo MICHNIEVI *nomine fulget,*
Non ſecus ac Onyches, Chryſolitiq; micant.
Inclyta Craciados ſemper ſunt nomina laudi,
Inclyta ſed ſequitur, nomina pulcher honor.
Viue diu, atq; ſenis Pilij tranſcende ſenectam,
Dulce decus Patriæ, ſæcula longa tibi
MICHNIEVI *faueant: multos vigeasq; per annos,*
Almæ virtutis culmina celſa petens.
Quam tibi tu laudem propriâ virtute paraſti,
Hanc hodie meritis, nunc ego reddo tuis.
Hanc igitur liceat natiuo aptare decori,
Namq; decent pulchrum ſemina pulchra ſolum.

XI. V·D· CASIMIRO IOANNI HORNASKI,

Cocci ſtirps, è qua animalculum naſci ſolitum, cruore ſuo veſtes & pannos colorat. (Leonicus) Ardor in ſtudiis.

LEMMA. Rubet igneus ardor. *Claud. in laud. Serenæ.*

TE quoq; per memores referêt mea carmina faſtos
HORNASKI lumen, fax rutilanſq; Sophûm
Virtus ipſa Tuam lauru circumdat honoris,
Frontem, quam cinctam fulmina nulla petent
Alterniſq; licet fluat ætas turbida luſtris,
Tu ſemper Viues clarus honore tuo.
HORNASKI viues Lechicis memorandus in oris,
Atq; tuum nomen gloria celſa vehet.

Semper

Semper victuris laudum posítura trophæis,
Præpes fama tuum nomen ad astra vehet.
Jn te virtutis celsæ *rubet igneus ardor,*
Ardor & in studijs qui micat ecce tuis.
Igneus est: qui te dignâ mercede beauit,
Almo cùm cinxit tempora honore tua,
Tempora Palladiâ cinxit meritò tua lauru:
Virtutem studio, nam vigilante colis.

XII. V. D. MART. DRYAKOWIC

Quercus Sybaritica quæ per multas annorum series virere dicebatur.
(Theophrastus) Perseuerantia in studiis.

LEMMA. Virens permultos non timet annos. *Claud.*

AVdierat Phœbus summo fulgere labore,
Te DRYAKOWIC, hæc quoq; dicta dedit:
Est meus hic cultor; fabro meliore politus,
Horti Craciadum plantula pulchra virens.
Interpres niueæ vitæ candor DRYAKOVî,
Purpureas roseus fudit in ore genas.
Hic pietate viret, castæ gaudete sorores,
MARTINO Charitum, lecta phalanxq; faue.
Hic vestro generi deuouet nomen amicum,
Palladis & vigili sacra labore colit.
Cernite purpureo vultum candore rubentem,
Plurima doctrinæ semina candor habet.
Hunc igitur quercùs florentis cingite serto,
MARTINI vireant laurea serta diu
MARTINI pietas permultos non timet annos,
Laurea namq; solent serta virere diu.

XIII. V. D. MART. VLADISLAO MIELICKI,

Arbor Vrbis Goæ, quæ solis & singulis noctibus, flores incredibili odoris suauitate commendatos profert. (Hugo) Symbolum est animi virtutum odore fragrantis.

LEMMA. Castosq; probat sub nomine mores. *Claud. in pan. Honor.*

DIc mihi Calliope, tanto cur tempore differs,
Emerito capiti laurea serta dare.
MIELICKI doctum resonent celebrando Camænæ,
Atq; canat laudes Cynthius ipse suas

Virtus ipsa probat (Castos sub nomine mores)
MIELICII clari moribus ingenuis.
Florifera Goæ prodeunt velut arbore flores,
Quorum odor insignis gramina cuncta replet
Camporum: virtus tua sic redolescit in aruis
Palladis, & nostros implet odore suo
Hæc animos: Sophiæ tibi nec se porta recondit
Abdita: nam superas fortia castra Stoæ,
Clarus es eloquio, clarus sermone polito,
Tantis pro meritis, iam diadema cape
Palladis inclytæ. gloriosa cacumina scande,
Quæ tibi nunc virtus, pandit & almus honor.

XIV. V. D. THOMÆ NYKOWSKI
NOT. PVBL.

Morus, quæ ne pruina lædi possit, non ante germinat, quàm prius fugatum esse frigus cognouerit. (Plinius) Symbolum est animi prudentis Iuridicis studiis operam dantis.

LEMMA. Accipies ex hoc diademata nisu. *Claud. in laud. Stil.*

QVâ te laude beem Themidi deuote NYKOVI,
Progenies Tulli, deliciumq; Stoæ,
Musarum communis amor. Tibi Pallas honorem
En offert summum, Thespiadumq; chorus.
Accinit: es nam tu Themidis iustissima cura
Palladiâ lauro; cum redimire tuam
Frontem vis: *ex hocq; petis diademata nisu*
Atq; decus decori iungere gestis: amans
Justitiæ, verumq; colens virtute refulges,
Quæ capiti nunc dat laurea serta tuo,
Crede mihi facilè summos prensabis honores
Quos tibi Diua Themis. Consus & ipse parat.

XV. V. D. ALBER. MACHCINSKI

Africana Lotos, quæ cùm dura sit vt lapis, in tabulis ex ea excisis bonarum literarum atq; scientiarum disciplinæ in ea scribebantur. (Leonicus) Symbolum est promptæ memoriæ.

LEMMA. Spe major. Claud. in laud. Stil.

ARea florentis nostri quæ te tenet horti,
MACHCINSKI nunc dat præmia digna tibi.
Africa quam profert, Loton pro munere donat,
Ac memoris mentis, Symbolon hocq; dicat.

Nam

Nam tu quidquid habent Doctorum scripta virorum,
Hæc benè conseruas omnia mente tuá,
Aßiduò voluis pernox monumenta Sophorum,
Quidquid Aristoteles, quid Stöa quiduè Plato.
Arguti condunt, tua mens hæc omnia nouit,
Atq; tuo dulcis Lothos ab ore sonat.
Ergò tua MACHCINSKI erit ex virtute perennis
Fructus, victuro semper in ore vehi
Moxq; tibi laudem virtus Regina parabit,
Diuitias & opes adiicietq; tibi.

XVI. V. D. MATTHIÆ STANISLAO ZYGMVNTOWIC

Arbor Occhi, quæ in Insulis fortunatis mel quotidiè scaturire dicitur (Strabo) Symbolum est mellifluæ facundiæ.

LEMMA. Dulcis se Gratia fundit *Claud: in laud: Stil:*

QVis me Parnassum referet super? ora rigabit
Quis mea perdulci, Bellerophontis aquâ?
Lesboa nunc cupio digitis attingere promptis
Barbita: dulce melos dulcia plectra sonent
Terpsichores: Cytharâq; suâ nunc concinat Orpheus,
Teque beet suauis, Cyrrha lepore suo,
Ore tuo, Suaui *dulcis se gratia fundit*
Quâ ZYGMVNTOVI, pectora nostra trahis
Aurifero non sic Pactolus fonte tumescit,
Occhea nec nectar, stillat & Ambrosiam
Arbor tàm dulcem; Ganges nec aureus auro
Littora sic implet, diues opumq; Tagus;
Vt nectar fundis dulci facundia linguæ,
Ingenii currunt, flumina magna tui,
O ZYGMVNTOVI nostris celebrabère Musis,
Clarebit nomen, semper honorq; tuus.

XVII. V. D. FRANC: ANATIDI

Fagus Caietana, cuius Fronde si vipera demulceatur sistitur. (Plutarchus) Symbolum virtutis inimicæ vitiis.

LEMMA. Venenata repellit. *Claudianus.*

NVnc reboet lætos plausus Parnassia rupes,
Ocyus & dulcem, tangat Apollo lyram,
Nunc Pallas, florenti donet ANATIDA serto
Quod meruit virtus, durus & ipse labor.

Vipera si quando florenti, tangitur acris
Fago, confestim concidit atq; pedes
Sistit reptantes; nostri sic inclyta virtus
FRANCISCI docti crimina cuncta necat,
Quæ iuuenum mentes corrumpit fæda voluptas
Hanc mactat virtus, otia cuncta fugans.
FRANCISCI labor assiduus mala cuncta repellit,
Ergo iam meritò cingit honore tua
Tempora, florentem Pallas dum dat tibi laurum
Quâ munitus fælix, i bone, perge celer
Quotecunq; vocat, virtus, fortuna, decusq;
Proq; labore tuo præmia digna cape.

XVIII. VD. IOANNI GĘZICKI

Arbor Canariæ, ex cuius foliis in Craterem è lapide constructum, aquarum tanta copia destillat, quæ non solum hominibus, verùm etiam armentis ad sitim extinguendam abundè sufficit. (Leonicus)
Symbolum est boni profectus in studiis.

LEM: Quisq; Satur de gurgite tanto. *Claud: in laud: honor.*

CVm placidis nuper recubarem Heliconis in vmbris,
Audieram: secum talia, Terra, Polus,
Jurgia miscebant: Tellus viridante coronâ
Tempora GEZICII, iam redimire volens,
Sic ait: en opus est dignâ mercede beare
GEZICIVM, nutrit quem vigil ipse labor.
Arbore Canariâ contextum nunc diadema
Tempora GEZICY cingat, & almus honor
Jn sublime vehat: nam istum natura beauit
Moribus ingenuis, dulcis ab ore fluens
Hunc suada exornat: quæuis consumitur hora
Jn studijs doctis: displicet ipsa quies.
Ergo nunc capiat tanto iam digna labore
Præmia: condecorent láurea serta caput
GEZICII docti. Tellus hæc: ast Polus inquit;
Hic mea peruigili sacra labore colit,
Hic animo semper mea docta Mathemata versat,
Ergò pro meritis præmia digna suis
Nunc capias GEZICKI dignam sume coronam,
Gloria victuram quam tibi celsa parat.

Audiit

Audijt hæc Præses Musarum Phæbus ab alto,
Hæc ait: arbitrio lis dirimenda meo,
Et Polus & Tellus condignum laudis, honoris,
GEZICIO docto iam diadema date.
GEZICIVM doctum geminis per compita sceptris
Quod fulget Regnum, semper honore beet.

V.D. ALBERTVS PODRAZINSKI.

VII. V.D. JOANNI MARTINO LOCHMAN

Offert

Palmam Syagros siuè Margariden, quæ in meridiano Orbe præcipuam nobilitatem obtinet, candida, rotunda, acinis quàm balanis similior. vndè & nomen a margaritis accepit (teste Plinio) Symbolum est amicitiæ inuiolabilis.

LEMMA. Inclinata resurgo.

Pieridum quoties mea Musa reuoluit alumnos,
Castaliis illos viuere cernit aquis.
Par animo LOCHMAN Craci præclara propago
Libauit puris, abdita sacra labris.
Węgrzynowic decus est illi splendoris auiti,
Ingenium cuius, iudiciumq; refert.
Eximium quem Phæbus amat, cui sacra noueni
Turba chori & Cytharæ Pallas amica fauet.
Flexanimæ pollet prædulci nectare suadæ
Gratius Hyblæis, os habet ille rosis.
Arcanosq; Sophûm nouit discernere sensus
Cui Stagyræ princeps contulit omne decus
Te virtus veneranda Patris, te nomen honorat
Vrbis Sceptrigeræ, Consulis eximij.
Tramite præclaro studij tu perge Paterni,
Integritas morum, quem tua pulchra defert.
Et mea cum gratæ cuperet tibi Symbola mentis
Musa dare, & meritum concelebrare melos:
Pro Cytharæ dulcore tuæ, pro carmine docto
Quo tu Phæbigenûm, laurea serta canis.

Marga-

Margariden palmam tibi dono corde sodali
Inuiolabilis en tessera amoris erit.
In palmæq; modum per honoris culmina surge
Namq; tuas dotes præmia celsa manent.

V·D· JOANNI MARTINO LOCHMAN

Propensionis & Candoris testimonium obtulit

VINCENTIVS STANISLAVS ROGOWSKI.

CErnere fragrantes Hyblæ, si quis cupit hortos,
Purpureis plantæ; quam rubeantuè genis:
Area LOCHMANI spectetur lumine puro,
Noscet; inest illi, quantus ab arte decor.
Scilicet vt surgens formosior, eminet alma
Vere nouo Chloris, nobiliusuè micat:
Sic sua fœcundos perfectiùs edit odores
Area Craciaeo non malè structa solo.
Consitus hic etenim Musis plaudentibus hortus,
Exhibet ingenij, pignora clara tui,
Quidquid habent Suadæ, myrothecia culta Latinæ
Pectore conclusum, nunciat esse tuo.
Aönidumq; Tibi, quantum placet vnda Sororum,
Explicat in latices, vbere melle fluens.
Quem quoniam profers in dias luminis oras
Ingenijq; struis, culmina tanta tui:
Musa tibi confert celeri pede culmen honoris,
Et vouet altera sit, Laurus amica tibi.